JOHANNIS VOET
JURISCONSULTI & ANTECESSORIS

ORATIO,

QUA MONSTRATUR VERITAS
ASSERTI A D. PIO

RAROS ESSE, QUI PHILOSOPHANTUR.

HABITA

A. D. VI. Id. Febr. MDCCX.

Quum Rectoris magnifici munere abiret.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud HENRICUM TEERING, Bibliop.
è regione Academiæ in angulo plateæ dictæ de Klokſteeg.
MDCCX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Generoſiſſimis atque Illuſtriſſimis Viris,

ACADEMIÆ LUGDUNO BATAVÆ

CURATORIBUS,

D. JACOBO, BARONI WASSENARIO, Dynaſtæ in Waſſenaer, Obdam, Hensbroek, Wochmeer, Spierdijk, Zuitwijk, Kernchem, Twickelo, Lage, &c. Illuſtris in Hollandia Nobilium Collegii Primo, Elephantini Ordinis in Dania Socio, Equitum Foederatæ Belgicæ Magiſtro, Sylvæ Ducis, aliarumque iſtic Arcium Gubernatori, ad Reges & Principes varios nuper extra Ordinem Legato, &c. &c. &c.

D. HUBERTO ROSENBOOM, Toparchæ in 's Grevelsrecht, JCto, & Supremæ Batavorum Curiæ Præſidi, &c. &c.

D. HERMANNO VANDEN HONART, JCto, Urbis Dordracenæ Senatori ac ſæpius Conſuli, Comiti aggerum in Alblaſſerwaarde, jam tertium Collegio Delegatorum Hollandiæ Ordinum aſſidenti &c. &c.

Digitized by Google

EORUMQUE COLLEGIS,

Nobiliſſimis & Ampliſſimis Viris,

D. CONRADO RUYSCH, JCto, Conſulum Præſidi,

D. DANIELI VAN ALPHEN, JCto,

D. DANIELI VAN ALPHEN, D.F. JCto,

D. JOHANNI DE BYE, JCto. Conſulibus florentiſſimæ hujus Urbis, ac variis inſuper honoribus aliis antea in Republicâ præclare functis.

ET,

Qui Splendidiſſimi Hujus Collegii Acta curat,

Graviſſimo, Prudentiſſimoque Viro,

D. JOHANNI VANDEN BERGH, JCto, Civitatis Lugdunenſis Senatori & Conſulari, jamdudum a Potentiſſimis Fœderatæ Belgicæ Ordinibus Bruxellas ad res Brabantiæ Flandriæ aliarumque Regionum ordinandas atque conſtituendas præcipua cum auctoritate Legato, &c.

Hanc Orationem
L. M. Q. D.

Gloriæ ac Virtuti Eorum
Devotiſſimus
JOHANNES VOET.

Digitized by Google

JOHANNIS VOET

ORATIO,

Illuſtres ac Nobiliſſimi Academiæ Curatores.
Splendidiſſimi, Ampliſſimi, Graviſſimi Reipublicæ Leydenſis Prætor, Conſules, Judices, Senatores, quique iis eſtis a conſiliis ac actis, Viri prudentiſſimi: & qui præterea adeſtis Viri honorati, dignitatibus ſpectabiles.
Clarisſimi ac Celeberrimi omnium diſciplinarum Profeſſores, Collegæ plurimum honorandi.
Reverendi ac Doctiſſimi Verbi Divini Miniſtri, Viri facundiſſimi.
Lector eruditiſſime.
Doctores omnium ordinum præſtantisſimi.
Cives ac Hoſpites cujuſcunque conditionis æſtimatisſimi.
Tuque ſpes Patriæ & Eccleſiæ Nobilisſima Juventutis corona.

SI tanta eſſet in me dicendi exercitatio, tanta ſi facundia ac perorandi felicitas, quanta apparet veſtra vel ad audiendum frequentia, vel ad intelligendum alacritas, vel ad judicandum ſolertia, ſperandum fortaſſe fuerit, me non ingrata penitus auditorio huic ſplendidiſſimo probaturum

 eſſe.

eſſe. Sed cum a luſtris quatuor, & quod excurrit, nulla diſſertationis, ex hoc loco ſolennis, provincia mihi demandata fuerit, adeoque, ſi qua valuiſſem unquam eloquii vi, (quam exiguam fuiſſe, probe mihi conſcius ſum) illam tamen, qualem qualem, deſuetudine dudum inumbratam ex tam longi temporis interſtitio, interruptoque uſu merito ſitis ſuſpicaturi, verendum inde quam maxime video, futurum, ut quicquid animo concepero, delicatis auribus veſtris, mentibuſque multiplici perpolitis eruditione, plauſibile minus aut acceptum obveniat, niſi veſtrâ ſublevarer, ac in ſpem paulo meliorem erigerer humanitate, quâ non tantum enutritos a teneris in arte dicendi, & eleganter elaborata ore diſerto pronunciantes, ſed & tenuiore ſubinde apparatu prodeuntes in publicum, auditis patienter.

Ne vero expectetis, Auditores, ut annuum depoſiturus honorem, ſine judicio criminali, ſine carcere, ſine pœnâ cujuſquam tranſactum, in ſalebroſam quandam hodierno die ſpinoſamque me demittam controverſiam, quæ in alterutram definita partem, movere bilem cuiquam poſſet, aut ſaltem id efficere, ut ſuccreſcerent odiorum cauſæ, quas ego procul habendas exiſtimo.

Digitized by Google

ſtimo. Quin potius innocuum, abſque læſione cujuſcunque, thema diſcutiendum ſuſcipio, quod, ſi non omnibus placiturum ſit, nemini tamen magnopere diſpliciturum confido: utpote propter quod non ultra quemquam indignaturum, aut indignari cum ratione poſſe, mihi perſuadeo, quam quod horæ ſpatium in me audiendo male collocatum a ſe, perditumque, cauſaturus forte ſit. Cum enim animadverterem, Principem eloquentiæ Ciceronem, in ſummos ſæpenumero homines, & ſummis ingeniis præditos, intuentem, inquirendum cenſuiſſe, quid eſſet, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo, admirabiles extitiſſent: cur ex unâ civitate Romanâ belli duces præſtantiſſimos pene innumerabiles, in dicendo vero excellentes vix paucos proferre poſſimus: cur denique, qui conſilio ac ſapientiâ gubernare rempublicam poſſent, multi Marci Tullii ævo, plures patrum memoriâ extiterint; boni vero oratores perdiu nulli, vix autem ætatibus ſingulis ſinguli tolerabiles inventi fuerint; exemplo tali excitatus, indagare quoque diligentius, ac vobis, impare licet dictionis ornatu, & humi magis repente ſermone, exponere conſtitui, quid ſibi velit, quod a D. Pio reſcriptum legitur, & ab Impera-

Digitized by Google

ratoribus aliis ac Juriſconſultis confirmatum, *raros eſſe, qui philoſophantur.* Enimvero, cum in Jure proditum eſſet, Grammaticam, Rhetoricam & Medicinam, uti ab aliis muneribus variis, ita & a tutelâ curationeque vacationem tribuere, quando intra ſtatutum numerum artium harum profeſſores erant, de philoſophis ex adverſo placuit, eos ſine numeri reſtrictione immunes habendos: non enim certum fuiſſe conſtitutum eorum numerum, *quia rari ſunt, qui philoſophantur.*

At, quis veſtrum, ad tale ſapientum paucitate paradoxum, durum adeo crudumque, non obſtupeſcat? quis non primâ fronte erroris illud ac ineptiæ, manifeſtiſſimæ quin falſitatis inſimulet, arguat, exagitetque vehementius, animo quoties attentiore temporum ſuperiorum memoriam ſibi repræſentaverit? Cui enim, obſecro, vel leviter in hiſtoriis exercitato poteſt ignotum eſſe, quam numeroſi ſubſtiterint in Græciâ Latioque Philoſophantium greges, quam multi ſectarum philoſophicarum autores, quibus, tanquam ducibus militiæ philoſophicæ fortiſſimis, innumeri prope ſua dederunt nomina; ſapientiæ præceptis imbuendi, formandique: quorum etiam e ſcholis, velut ex equo quodam,

Digitized by Google

dam Trojano, magnanimi catervatim prodiere ſectatores, pro ſectæ ſuæ placitis ingenioſe decertantes. Sed & tanto magis in admirationem vos rapi neceſſe eſt, ſi cogitaveritis, vixiſſe temporibus illis, quibus hæc nata aſſertio, Marcum Aurelium Antoninum, cognomento Philoſophum, qui cum adoleſcens admodum ad diſciplinæ Stoicæ præcepta ſeſe totum moribus ac vitâ compoſuiſſet, adeo ſapientiæ laude claruit, ut Hadrianus de imperii ſucceſſione in eum conferendâ non ſemel deliberaverit, Pium quidem, aſſerti hujus autorem, hâc unâ de causâ anteponens, quod ille jam prior adoptatus fuisſet, ſed tamen & poſt Pium deſtinans ipſum Romanæ Majeſtatis heredem. Quis enim addubitet, quin, dum regis ad exemplum totus orbis componi ſolet, frequentiſſimi fuerint tunc meritis ſuis ſeſe commendantes philoſophi, ad ſapientiæ ſtudia non leviter vel eo concitandi, quod intelligerent, nobiliſſimum Cæſarem ſuum illud ſibi familiariſſimum habere, florere reſpublicas, in quibus imperatores cum philoſophis frequentes eſſent. Denique, ſi Ulpianum noſtrum audire libuerit, ab eoque edoceri, Juriſconſultos juris ſacerdotes eſſe, *veram & non ſimulatam philoſophiam affectantes*, quis non lon-

Digitized by Google

giſſime a Pii recedat opinione, ac non exiguum omnibus fere ſeculis philoſophorum numerum fuiſſe repertum, fidenter contendat? Quanta enim Juriſconſultorum cohors fuerit, tum domi in ſolio confidentium, tum foro tranſverſo obambulantium, qui aditum quibuſvis ad ſe præbentes, ſalutaribus ad victoriam conſiliis inſtruebant eos, qui calumniantium oppreſſi calliditatibus, opem illorum & auxilium implorabant, nulli incognitum: quibus ſapientum aut nomen aut laudes detrahere velle, non tantum in ſanctiſſimos hoſce juris antiſtites injurium fuerit, verum Ulpiano quoque, clarorum hominum ſcientias & utilitate & dignitate æſtimare gnaro ſatis, refragaretur.

Sed judicii properati nimis præcipitiſque fervorem cohibete pauliſper, obſecro, atque compeſcite, nec temere adeo vel inconſiderate imperatorem optimum cum Ulpiano committite; verum ſedulo potius perpendite, quam ipſis etiam ſimplicioribus exploratum ſit, magna ſæpe & egregia affectari a multis, quæ raro obtinentur quærere plurimos, quod paucis deſtinatum eſt. Puellam, ſi libet, concipite jam plenis nubilem annis, natalibus conſpicuam, formâ ac ſpecie liberali ſupra alias excellentem,

in-

Digitized by Google

inſigniter dotatam, nec minus animo, virtutum ornamentis cumulato, quam corpore, felicem. Ecquiſne veſtrum eſt, qui non exiſtimet, plurimos ejus amore capiendos, imo in amoris furorem rapiendos eſſe, nuptiaſque appetituros, dignos, indignos, ſubinde & indigniſſimos, qui, dum viderunt aliquando, Niſas & Mopſis datas, ſperare quidvis audacter præſumunt, fortunâ nonnunquam audentes juvante. At quotuſquiſque illorum a propoſito non paulatim deſiſtit; dum hic diffidentiâ omnem in continenti deponens impetrandi ſpem, mature conceptum viſceribus excutit ignis cœci carpentis ardorem: ille ſumtus ad ambiendum neceſſarios, in nihilum fortaſſe profuturos, reformidat: alius, imperare magis quam ſervire ſuetus, a diuturnis illis ac humilibus obſequiis, captandæ benevolentiæ puellaris remediis ſæpe ſatis felicibus, abhorret prorſus: nonnulli, cum jam viſi ſibi fuiſſent quid profeciſſe, in aditu, in conſortio, in colloquio, competitorem prælatum ſibi vel cum ratione credentes, vel opinione falſâ deluſi ſuſpicantes, ulteriorem abjiciunt victoriæ fiduciam: atque ita multis amata prius, vix uni tandem ſoli cedit.

Simulachrum habetis, Auditores, philoſophiæ

phiæ veræ, non ſimulatæ, virginis illius reverenter habendæ, ſobrie colendæ, caſte obſervandæ, nulloque modo inceſtandæ; quæ ab omnibus, aut certe maximâ mortalium parte, commendata, infinitis propemodum amplificatur encomiis, tanquam reipublicæ utiliſſima, privatim vitæ tranquillæ tutrix fidiſſima, non ſupra bruta tantum, ſed & ſupra vulgarem hominum cæterorum ſortem extollens eum, cui connubio ſtabili ſociata fuerit, propriaque dicata. Aſt, quantula quamque exigua illorum turba eſt, qui omnes iſtas, quibus eo pervenitur, devorare velint moleſtias; qui ſic virtutibus & affectuum ſtudere moderationi, ut in amaſiæ hujus amplexus ſuis admiſſi meritis, ſapientis nomine ex vero cohoneſtentur. De plerisque enim illud jure deprædicaveris, illos cum Medeâ videre quidem meliora, affatimque probare, ſed tamen interim ſequi deteriora; laudari quidem ab illis ſapientiam ac pietatem, ſed nihilominus algere; multos quidem omnibus fere temporibus ſplendidum ambiiſſe ſophorum titulum, at perpaucos extitiſſe, quibus ab æquo Jove amatis rem adipiſci datum fuit, dum in cortice tantum externo ſapientiæ rodendo occupati hærentesque, nucleum attingere non potue-

tue-

Digitized by Google

tuerunt, aut in ſuam convertere utilitatem. Plures ſane, vultu ad auſteritatem ſeveritatemque compoſito, barbâ gravi & hirſutâ, ac frontem prope totam tegente ſupercilio, pallio, perâ, baculo, adeoque habitu, ut ſic dicam, philoſophico contentos, nec ultra adſpirantes, non tam ſeſe præconiis condecorandos, quam potius ridendos aliis propinaſſe, palam eſt, tanquam qui ſecundum Luciani fabulam, poſitis hiſce philoſophorum ornamentis, nullâ ſui parte cæteris potiores cenſeri debeant, aut ab aliis non philoſophantibus ullatenus diſtincti. Quidam cum Diogene Cynico per affectatam morum ruſticitatem, ſordidam ac feram vivendi rationem, omniumque ad urbanitatem & humanitatis officia ſpectantium contemtum, ſapientiæ laudem crediderunt captandam eſſe, pallium etiam Platonis cultius, fortuito repertum, velut faſtum Platonis, pedibus conculcaturi; nullo interim non obſervante, longe majore illos ipſos id faſtu agere, damnando magis, ac inſolentiore. Fuerunt, qui petulante laborantes & impudente inſcitiâ, rerumque illarum cognitionem aliis pollicentes, quarum vix umbram ipſi tenebant, ſolâ arrogantiâ & indocto contendendi ſtudio vindicandam exiſtimarunt

runt inanis ſapientiæ laureolam; ac impotentes amentiæ ſuæ quæſiverunt fautores. Sed nec defuerunt, qui ſe unos ſapientes, unos poſt tot ſeculorum decurſum datos orbi jactitarunt cenſores, magnos Aſtreæ reducis Sophiæque redeuntis anteambulones, quorum ope autoritateque pulſa dudum juſtitia, pulſa ſapientia, decente ſuâ in ſede reponatur. Adeo audacem interim, temerariam adeo profeſſi philoſophiam, procacemque pro arbitrio fingendi licentiam, ut non modo plurimas ingenii luxuriantis nebulas, operoſa nugantis cerebri commenta, non difficulter diſcutienda, eruditis obtruſerint, ſed & ſceptra laceſcere ſyllogiſmis aliquot, ac aperte contumelioſâ in principes & magiſtratus, etiam optimos, deſpuere dicacitate, Deum quin & ipſum atque divinitatem impio molimine & immanibus ac giganteis impugnare placitis, haud fuerint veriti. Denique Juriſconſultos quoque majore numero extitiſſe, veram & non ſimulatam affectantes philoſophiam, cum Ulpiano bonâ fide credi poteſt; ſed non omnes eo, quo properàre videbantur, perveniſſe, iterve, quo ad intemeratæ ſapientiæ culmen graſſandum erat, emenſos fuiſſe, nimium eventus teſtatum dedit; dum pravis obſecundantes inclinationibus, ac mul-

Digitized by Google

multifariam deflectentes, id effecerunt, ut neque erraſſe, neque in philoſophorum aut juriſconſultorum ordinem iniquus amplius videri vobis debeat Princeps piiſſimus, contendens, *raros eſſe qui philoſophantur.* Et quam paucos unumquodque ſeculum, regio quæque, ſapientes ferat, vel inde probatu facillimum eſt, quod, cum tot philoſophorum ſcholis, tot ſectis eſſet clariſſima, totoque orbe celebrata Græcia, cultioris illa eruditionis fœcunda pariter ac benigna mater, tamen non niſi de ſeptem e ſinu ſuo productis auſa fuerit gloriari; uſque adeo, ut in proverbium abierit, ſapientum octavum eſſe, qui omnium ignarus, vanâ nihilominus ſtolidâque tumidus ſapientiæ opinione, ſe ſcire multa non tantum perſuadet ſibi, ſed & apud alios venditare magnificâ non erubeſcit oſtentatione.

Quo vero magis in propatulo conſtituatur effati veritas, age, rationem, quâ motus imperator fuit, attentius paulo conſideremus. Exiſtimavit ſcilicet, philoſophos, * *qui divitiis ſuperabundant*, (dum ſorte ſua contentum eſſe, maximæ ſunt certiſſimæque divitiæ) *voluntarie tributuros pecuniam in utilitates patriæ: ſi autem proprie loquantur de ſubſtantiâ, inde jam maniſeſtos ſuturos*

* *l. 6. §. 7. ff. de excuſation. tut. l. 8. §. pen. ff. de vacat. & excuſ. mun. l. 8. C. de profeſſ. & med. l. 6. C. de muneribus patrimon.*

 ros

ros non philoſophantes. Cui convenienter a Papiniano traditum, *vere philoſophantes pecuniam contemnere, ejuſque retinendæ cupidine fictam detegere aſſeverationem*: ac turpe cenſuerunt Romani Principes Valentinianus & Valens, *ut patriæ functiones ferre non poſſit, qui etiam fortunæ vim ſe ferre profitetur.* Atque hinc denique eſt, quod inſolito penitus reſcribendi more, maximaque cum indignatione, a Diocletiano & Maximiano rejecta fuit illius ſupplicatio, qui ſe philoſophum profeſſus, a muneribus patrimonialibus eo nomine deſiderabat immunitatem. *Profeſſio*, inquiunt, *& deſiderium tuum inter ſe diſcrepant: nam cum philoſophum te eſſe proponas, vinceris avaritiâ ac rapacitate, & onera, quæ patrimonio tuo imponuntur, ſolus recuſare conaris; quod fruſtra te facere, cæterorum exemplo poteris edoceri.* Et, ſi plures ordinis noſtri philoſophos, veram affectantes philoſophiam, paulo magis e propinquo contemplemur, quiſquamne ſapientis nomen iis applicuerit, qui in foro exercitatiſſimi, ſtratagematum quoque judicialium vel ſtruendorum vel cavendorum maxime periti, inſuper habita veræ virtutis laude, injuſtis æque cauſis, ac juſtis, per damnatas omnis generis calliditates ac concinnatas verſutias patrocinium præbere feſtinant;

nant;

Digitized by Google

nant, ac tot artibus, tot fucis, vel ipſas ſuas fœdiſſimas amiciunt prævaricationes, ut ne penes proprios quidem clientes in minimam incidant ſubinde colluſionis ſuſpicionem. Quibus nihil magis in votis eſt atqne deliciis, quam maledicendi licentia, calumniandique temeritate, lenta fori in arena decertare, mille litigantibus per excogitatas ſtudioſe dilationes inutiles inferre tædia, moras mille; ex litibus lites educere; cumque illæ poſſent amicâ componi transactione, id agere quam maxime, ut infelicia diſcordiarum ſemina ſpargantur latius, ad nova certamina ſtimulus addatur, atque ita diſſidentes a ſe invicem longius longiusque, crudeliſſimis aſtibus circumventi, diſcedant: non alio fine, quam ut tanto gravior ære dextra domum inde redeat, in quœſtu ſit unice jurisprudentia, clientum miſere vexatorum eviſcerentur marſupia, & ab iis in cauſidicorum commodum omnis victoriæ derivetur utilitas, quo ipſi jucundâ quidem ad tempus lucri turpiſſimi, ſed tamen haud quaquam profuturâ fruantur fœcunditate.

Non tamen exiſtimandum, illam unquam aut imperatorum aut juriſconſultorum fuiſſe ſententiam, omnem pecuniam, opulentiam omnem

Digitized by Google

penitus contemnendam eſſe, ac velut inutile pondus abjiciendam, omnive ſepoſitâ futuri curâ, cibum cum Diogene ſingulos in dies emendicandum, in dolio, ſoli obverſo, velut in prætorio, habitandum, ac vel poculum ad bibendum comparatum, quaſi manus ad id ſufficeret, pro derelicto habendum eſſe. Sic etenim per omnia humanitatis abjectæ dedecora, per ruſticam atque inofficioſam officiorum omnium benigne oblatorum deſpicientiam captare velle, vel vulgi admirationem, vel Bonorum applauſum, ab inſani potius hominis impulſu, quam philoſophi ſobrii conſilio, promanare credendum eſt. Aliam profecto principibus, juris ſacerdotibus aliam ſtetiſſe mentem, haud difficulter perſuaderi ſibi patietur, quisquis a juſtitiâ dictatum agnoverit, *ſuum cuique tribuendum eſſe*. Quorſum enim alias tribunalia? quorſum judices litium de *meo* & *tuo* diribitores, ſi ſpernenda forent omnino Dei munera, quæ ampla aliis, aliis mediocria largitus fuit? Quorſum Ulpianus, utcunque *civilem ſapientiam* dixiſſet *rem eſſe ſanctiſſimam, pretio nummario non æſtimandam, neque dehoneſtandam*, ſubjunxiſſet tamen, *honorem*, ſeu honorarium initio juris profeſſoribus offerri oportere, accipique

Digitized by Google

que honeſte? Quin potius, una atque unica eſt *avaritia*, Auditores, quam magni viri a vero philoſopho voluerunt abeſſe, dum non convenire ſatis & in unâ morari ſede cenſuerunt cum *ſapientiá avaritiam* ac *rapacitatem*, longo rerum uſu edocti nimium, quam horrendum illud, quam informe, quamque ingens monſtrum ſit: & tamen vitium adeo cunctis, proh dolor! commune mortalibus, ut, quamvis aliis alii vehementius eo correpti ſint, quamvis etiam avarus aliquando, tanquam prudens parcus & induſtrius rerum ſuarum tutor, extollatur (uti fere ſplendido virtutum nomine velantur vitia pravo more) nulli tamen, aut certe pauciſſimi, ab eo ſe penitus immunes eſſe, jactare de ſe jure poſſint: ut proinde veriſſimum maneat, *raros eſſe, qui philoſophantur.*

Inter omnes autem avaritiæ ſpecies nullam putarunt optimi principes exagitandam magis atque deteſtandam, quam, quâ collationem tributorum, ad juvanda fiſci commoda, conabantur injuſtâ prorſus contentione declinare. Cum enim præcipuum ac peculiare philoſophis adſcriberent, *eos voluntarie tributuros pecuniam in utilitates patriæ*, quid mirum, ſi (ut eorum verba repetam) *turpe crediderint, patriæ functiones ab eo ferri*

ferri non poſſe, *qui etiam fortunæ vim ſe ferre profitetur* : ſi *profesſionem & deſiderium ejus*, qui ſe philoſophum jactabat, *inter ſe diſcrepare* autumaverint, dum *onera*, *quæ patrimonio ejus imponebantur*, *recuſare* tentabat, indeque *vinci dicebatur avaritiâ ac rapacitate.* An neſcis ergo, philoſophe, privilegiis pluribus ac immunitatibus ob merita liberaliter indultis haud contente, neque quietem gentium, ſecundum illud Taciti, ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſe? An neſcis, quod dudum aliis inculcare debueras, conſilio prudente penes populos plerosque bene moratos, & propriæ ſimul atque communi ſtudentes conſervationi, publica fuiſſe conſtituta æraria, ex vectigalium & onerum aliorum impoſitorum contributionibus reparanda quotidie ac reficienda, unde tam belli quam pacis ſumtus velut e promptuariâ cellâ educantur expendanturque; ac metuendam eſſe propediem ſocietatis civilis diſſolutionem, ſi fructus illi, quibus ſalus publica ſuſtinetur, intervertantur, adeoque fabricari deſinant munitiones urbium, aut militares nutriri copiæ, per urbes & agros excubias acturæ, ſubjectosque a bellorum liberaturæ calamitate? An neſcis, civitatem conſiderandam eſſe velut unum

quod-

Digitized by Google

quoddam animal, cives vero ejus tanquam partes corporis iſtius animalis, ac partem toti, non totum parti, debere ſervire: adeoque te mala fide, exemplo peſſimo, temet ipſum oneribus reipublicæ ſubducere cupientem, tollere ſimul ei alimenta ſua civilia, quibus refocillari debet, ac vires indies novas reſumere? An neſcis denique, eos, qui alimenta negant, necare videri, * ſive parentes liberis, ſive nati genitoribus ea, jure naturæ debita, præbere detrectent? Quod ſi hæc omnia te ſcire profitearis, quo, obſecro, colore, quave probabili æquitatis ſpecie, te ab illa poteris expurgare culpa, quod, cum tanquam pius patriæ, omnes omnium charitates complexæ, filius, debuiſſes juxta cum aliis ſubminiſtrare tua in defenſionem ejus, pro qua & mori dulce ac decorum non degeneres ejus crediderunt alumni, ex adverſo, quantum in te eſt, enecare eam feſtines atque peſſum dare, ſubtrahendo illa, quibus vitam tueatur? Lugendum minime, (ſi Marcello fides) majores cenſuerunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes ac liberos interficiendos venerit; quem ſi filius patrem vel pater filium occidiſſet ſine ſcelere, etiam proemio afficiendum omnes conſtituerunt. † At quid, quæſo, refert, occidat

* *l. 4. ff. de agnoſc. & alend. lib.*

† *l. 35. ff. de religioſis.*

C quis,

* *l. 15. ff. ad leg. Corn. de ſicariis.*

quis, an mortis cauſam præbeat? * Ac proinde, quod manu quaſi tuâ propriâ matrem hanc tuam communem non obtrunces, quod pernicioſa cum hoſtibus ejus conſilia non ſocies; quod armatos non inducas in reipublicæ fines, indene te a parricidii crimine liberandum ac immunem pronunciandum opinaris? imo vero tunc eam prodis, tunc conculcas, tunc perdis, tunc enecas, cum nutrimentum, quo fovetur, ac viribus inſtauratis ſpirare perſeverat, ſubducis; cum tributa, Belli paciſque nervos, in uſus publicos exſolvenda, conferre recuſas; atque ita efficis, ut quâdam velut atrophiâ langueſcat, ut ægrotare incipiat, ut debilitari, ut extabeſcere, deque potentiæ ſuæ gradu tandem dejecta penitus, præda hoſtium & acceſſio miſeranda fiat, ac triſti funere delata in tumulum, æternæ tradatur oblivioni. Sic ut reſpublica, talibus vulnerata fraudationibus, atque expiratura, (ſi loqui daretur) tibi philoſopho, cui præ aliis curæ debuiſſet eſſe ſalus ejus, idem illud exprobratioue juſtiſſimâ foret ingeminatura, quod Cæſar a ſuis obrutus percuſſoribus, Bruto, ſimul cum aliis irruenti, voce languidâ oreque moribundo, *& tu quoque fili!* & tu quoque philoſophe! cujus vel imperium aſſerendæ ma-

Digitized by Google

majeſtati meæ maximopere viſum fuiſſet exoptandum, dum beatæ creditæ civitates, in quibus vel reges philoſopharentur, vel philoſophi regnarent! Alia plane civibus, alia incolis, quibus de meliore luto ficta præcordia, alia vere philoſophantibus, opinio ſedit, ac etiamnum ſedere debet, qui vetera dicta ac facta majorum repetentes, laudabilem cenſent de publico ſollicitudinem, & alacre tenaxque quidvis pro libertate perpetuandâ pendendi propoſitum; quibus nihil tam charum, tam æſtimatum nihil, quod non operæ pretium ducant conſervandæ reipublicæ immolare, fallacem opulentiæ paulo majoris retinendæ fumulum amori patriæ longe poſtponentes; dum perſuaſum habent, incolumem ante omnia eam eſſe oportere, ac, republica collabente, ruere quoque infeliciſſime in miſeriarum omnium abyſſum non bonos modo, ſed & ipſos illos malos, qui neglectâ curâ ejus, privatis tantum atque corruptis deſideriis ſuis exiſtimarunt incumbendum. Ac proinde, ſi tu philoſophe, vel quisquis fueris alius, nolueris tecum paulisper habitare, ac ratione tuâ a te excitata tuam in melius reformare opinationem, alienis ſaltem calamitatibus admonitus, cladium alienarum conter-

ritus exemplis veſtigiisque, meliora ſequere. Si te, ſi patriam, ſi libertatem, ſi opes, ſalvas eſſe cupias, ſi locum honoris, in quo conſtitutus es, aſſertum tibi voveas, collationi tributorum æquabili faciendæ te ſedulo accingito, atque ita pro virili in totius tuitionem conferto tua, ut tibi præcipua patrimonii tui pars in tuto quoque maneat, perpendens diligenter, in totius ſalute partis quoque ad te pertinentis incolumitatem conſiſtere, ac quæſito promotoque totius commodo, tam partis, quam totius, utilitatem conſervari. Falleris enim, miſelle, ſimulque fallis alios, ſi loculos tuos, fraudati cenſus fiſcalis malis artibus turgentes, ſalvos tibi fore præſumas, ubi patriam univerſam, per tuam & aliorum avaritiam, qua onera declinas injuſte, victam videris ac debellatam; deprehendes ſero, dolebisque, per intempeſtivam parcimoniam contra propria commoda te laboraſſe magis, quam rebus tuis prudenter conſuluiſſe; diſces tuo & aliorum cum damno, ſubverſa domicilii ſede, perire ſimul opes, quas privatus quisque tenet, ac eos, qui rempublicam deſerunt, ne quid privato decedat patrimonio, cum omnibus plerumque rebus ſuis, quibus admodum lætis uti videbantur, interire tandem,

dem,

Digitized by Google

dem, ac diluvio quaſi communi abſorberi, vel univerſali natalis ſoli conflagrare combuſtione. Ut enim is, qui navigio vectus, oborta tempeſtate, ſe, quam navem totam, ſalvum eſſe maluerit, ſtolidus eſt, dum vel rudioribus compertum ſatis, ſine carina, qua curſum quisque maritimum inſtituit, nec ipſum ut plurimum, nec res ejus ſalvari poſſe, ita quoque, qui in reipublicæ diſcrimine ſuæ potius ſaluti, ſuoque commodo, quam communi, ſtudet. Unâ ſane vehimur omnes in hoc vaſto mundi oceano reipublicæ rate; quotquot ei noſtra impoſuimus, maxima, media, minima, eidem omnes exponimus periculo. Si quis ergo ad navem in tutam ſtationem ſubducendam jactus faciendus ſit, quid, obſecro, juſtius, quam ut de communi per contributionem jactura reparetur; nec quisquam ſemet arbitretur infelicem, dum parilem cum cæteris ſortem ſubit, onera æqualiter impoſita mente ſuffert æquâ, communique paret legi neceſſitatis, quo ipſe cum ſuis ac cum republicâ ſoſpes, in longum ſuperſit. Gravia quidem ſingulis atque univerſis eſſe tributa, tum ordinaria, tum extra ordinem urgente belli calamitate multiplicanda, quis neget? at, ſi cum viro prudente finem reſpiciamus, ut ſcilicet

Digitized by Google

cet ad tutam pacem ac diu duraturam, ad reipublicæ bene compoſitæ perveniamus tranquillitatem, dum aliâ viâ ſecure non licet, hæc utique, quamvis duræ ſint digeſtionis, concoquemus facile patiente ſtomacho, animoque non invito perferemus alacriter, nec ut malum triſte; ſed magis ut rem bonam, ac ex fine bono non ingratam, haud illiberaliter erimus ſubituri. Qui trans mare vehuntur, & extremos tranſcurrunt ad Indos, ut theſauros ſibi congerant, & orientis occidentisque ſpoliis ſaginentur, nauſeabundi quidem ex pelagi erroribus, ac angoribus enecti prope, haud ſemel ejiciunt, quod ventriculo concreditum, maluiſſent retentum, neque hæc ipſis jucunda videri, quisquam aſſeruerit. Aſt ubi in optatum ſunt portum relati, ubi votorum facti compotes, non velint, ſe medio tempore a tali nauſeandi incommodo ſtomachique faſtidio liberatos fuiſſe, fructum iſtarum moleſtiarum uberrimum jam cum voluptate perſentiſcentes. Medicamenta amara ægrotantibus, inciſiones ulcere laborantibus nihil ſuave, amœni nihil conferre certum eſt: ſed dum aliter ad ſanitatem redire non datur, finem utique recuperandæ valetudinis ob oculos ſibi ponens, ſenſu hæc ſentiet, ſi ſapiat, phi-

Digitized by Google

philoſophico, qui hiſce curandus erit. Pari ergo ratione preſſus onerum publicorum difficultatibus, non amentis inſtar, ululatu fœmineo, patrimonii ſui aliqua ex parte deplorabit imminutionem, ſed potius per factam rerum quarundam in publicum collationem reliquas etiamnum ſalvas eſſe, gratulabitur ſibi, gaudebitque impenſe.

Etſi vero præprimis eos, qui tributorum declinant exſolutionem, reprehendendos, & , ut inſipientes, ab imperatoribus notatos apparet, non tamen colligendum inde, in aliis ergo cauſis, & erga alios extra fiſcum, avaritiam in philoſophis tolerandam fuiſſe, aut cum ſapientiâ poſſe ſociari; cum potius in univerſum *hoc ipſo, quo proprie loquuntur de ſubſtantiâ, jam minime philoſophantes* eos Pius aſſeruerit, tanquam, autore Papiniano, *pecuniæ retinendæ cupidine fictam detegentes aſſeverationem*: ut proinde magis omne omnino genus avaritiæ oporteat undiquaque a philoſopho remotum eſſe. Quod ne gratis dixiſſe videar, Auditores, quadrantis attentionem indulgete roganti, atque permittite, ut paucis eam, uti ſeſe habet, abſque fuco, detractâque larvâ, delineatam vobis exhibeam. Hoc autem ut omni agam conatu, non ea, quæ

quæ ſacris uſque adeo inveniuntur commendata literis, in avarum largâ manu congeram, non dicam, eſurientium panem eſſe, quem ille detinet, nudorum indumentum, quod armariis includit, miſerorum ſolatia, quæ terræ viſceribus defodiendo committit; nihil de divinâ providentiâ, quâ ſuis proſpicit, nihil de cœleſtium theſaurorum quærendorum curâ addam, ſed parcus potius & avarus in hac ipſa contra avaritiam diſſertatiuncula in iis ſuggerendis ero; ſacrorum antiſtitibus illa aliaque ejuſdem momenti plurima maximaque relinquens expendenda, tanquam non conſiderata, aut certe non ad animum revocata per eos, qui a Chriſtiana alieni religione, autores fuerunt ejus, *quod rari eſſent, qui philoſophantur*: ſed magis ea urgebo ſola preſſius, quæ naturalis ratio mortalium animis extra revelationem, quæ gentilium philoſophia ſanior ſubminiſtrat principia ac ratiocinationes, ab ipſis tamen divini Codicis veſtigiis haud longe abeuntes. Ac primo quidem velim, mecum aliquantiſper excutiatis, quam exiguam avarus ex ſua cupiditate ſentiat utilitatem, quam vilem ac depreſſam inde voluptatem capiat, quam nulla parte queat inde felix dici. Quis enim fortunatum credat, cujus animus ad-

Digitized by Google

eo perenniter obſtrictus tenetur, ut nullo unquam tempore contentus eſſe, nunquam quieſcere vel reſpirare ſine anxietate poſſit? quippe qui, ſomniet, vigilet, domi, foris, ubicunque ſubſiſtit, mentem ſemper apud aurum habet, nec quicquam aliud, quam onuſtas nummis ciſtas cogitat, loquitur, reſpicit; omnium perpetuo obſervat ungues, nullumque conſpicit appropinquantem, quem non ſuo putet theſauro inſidiari: ſi potentiorem videat, timet raptorem, ſi inferiorem, furem ſuſpicatur, & dum creſcentem cura pecuniam ſequitur, tanta jam patitur, quanta pati ſe poſſe, mens ipſi præſagit. Sed &, quis felicem eum opinetur, qui, dum nullum beati pauperis exemplum agnoſcit, auri ſacra laborans fame, ſaturari nullâ ratione poteſt: niſi & hydropicum felicem judicemus, quod aqua turgidus perpetuo ſitiat, aut laudandam aſſeramus Tantali conditionem, quem totum prope merſum aquâ, pomiſque cinctum, fame tamen ac perenni cruciari bibendi deſiderio, poëtæ fabulati ſunt. Inſatiabilis nempe res eſt avaritia, nec cura mordax ſuperſtitem deſtituit, & quamvis fluente auri gurgite cogat avarus opes, quamvis jam pleno ſacculi ore turgeant, & reſtagnent theſauris ſcrinia,

Digitized by Google

creſcit tamen nummorum amor, quantum ipſa creſcit pecunia, nec copià minuitur, nec acquirendo extinguitur, ſed ignis inſtar eſt, qui, ubi ligna, quæ conſumat, acceperit, excreſcit eo violentius. Pertuſa ſane Danaidum dolia citius repleveris, quam impletam videris avari concupiſcentiam. Ut proinde inferno haud illepide comparetur: uti enim ille non ſatiatur, quantacunque deglutiverit perditorum millia, ita nec unquam ſatietas avarum capit, etiamſi pleræque in eum unum divitiæ confluxiſſent, ſed, cum jam plurima teneat, plura petit, & ad alia captanda magis anhelat; imo, quæ ſperata, ſummoque concupita fervore, fulgebant admodum, ea, quamprimum poſſeſſa fuerint, ſordeſcent ilico, dum majora ſperantur; ſperari vero debent ab eo, quem lucro incendi, quoque plura paraverit, eo indigentiorem eſſe, neceſſe eſt. Gradus ſcilicet quosdam cupiditatis habet avaritia, ac, quo plures quis adſcenderit, eo magis ad altiores feſtinat, ut tandem omnia ſibi deeſſe arbitretur, quæ dominio alterius adhuc ſubjecta videt: adeoque uti vulgo nullus in aliis repente fit turpiſſimus, ita nec avaritia ſtatim conſummata eſt, ſed paulatim incrementa ſumit. Non ſufficiebant Alexandro pri-

Digitized by Google

primitus ſuæ fines Macedoniæ; verum ex quo victoriæ vincendi auxerunt deſiderium, non unus orbis ſatiare potuit, anguſtiſque tandem mundi limitibus infelix æſtuavit Pelleus juvenis, futurus licet propediem ſarcophago contentus. Unde &, cum reliqua vitia ſenio ſubeunte ſeneſcant, prout & ipſæ decreſcunt corporis vires, ſola indies avaritia juveneſcit, & tempore ipſo turpis augetur habendi pruritus, quantoque minus ſpatii ad vivendum ſupereſt, tanto magis hæc ſtruendis intenta opibus timidius neceſſaria promit, dum genium ſuum defraudare, & in triduanas parare cœnulas, quæ vix dimidiatæ ſufficiunt, avaro quotidianum eſt; nihil movente ratione patrimonii, utcunque Craſſi aurum Crœſique divitias ſuperantis, nihil mutante ſplendore familiæ ac natalium dignitate, dum aliud imperat domina, quæ jugum impoſuit, avaritia. Friget ejus plerumque culina, fumaria torpent, ac, ſi forte latrans ſtomachus continuatis prope langueſcat jejuniis, vix tandem a ſuo impetraverit animo, ut arido atroque pane, leguminibus viliſſimis, ac crambe ſæpius recoctâ, ventrem famelicum tandem farciat, ubi apud ſe prandendi neceſſitas ei incumbit: quem tamen ſi penes alios cœnantem

Digitized by Google

videritis, alienâ jam viventem quadrâ, cum vix rogatus eſſet, vixque tacta eſſet penula, aviditate ſtupendâ devorantem obſervabitis, quicquid optimum, quicquid ſuaviſſimum, magnoque coëmtum eſt; notabitis facile memorabile magni gutturis exemplum, eumque vel hominum octo validorum muniis comedendo fungi jurabitis, quo domi dein iterum ad languorem eſuriat. Non alium interim ex hiſce ſordibus, exempli gratiâ enarratis, aliisque quam plurimis non ultra recenſendis, laturus cupiditatis abominandæ fructum, quam quod male parta male tandem dilabantur, & fœdiſſime corraſa, pennis velut aſſumtis, avolent longiſſime, ſuoque extorqueantur iniquo poſſeſſori. Quoties, Auditores, improbum fœneratorem deluſum vidimus, &, dum ſperabat, res ſuas occulto creturas fœnore, una cum captatis uſuris mordacibus ſortem ipſam amittentem! quoties captum ac circumventum, qui momento eodem alterius fraudandi conſilium iniverat! Scilicet, vix eſt, ut eventus ſordida ſpolia bonos habeant, vix, ut, qui prædas agunt, non fiant aliorum aliquando præda; veri Acteones, quos propria tandem avaritia, proprius ille canis, quo tantopere ſectati aliena atque venati fuerant, devorare

rare ſolet, ceu tales, qui lacte nutriti ferino, videntur humanam exuiſſe naturam, & in ferarum mores tranſmigraſſe. Incredibiles ſuo ſcelere, ſacris omnibus profaniſque locis Romæ ſpoliatis, rapinas egerat Conſtans Græcorum imperator; has vero omnes interceptas, ipſo per milites in Siciliâ obtruncato, Saraceni rurſus in Africam devexerunt. Quid; quod non ipſa tantum ſcelere parta pereunt, ſed & cum iis alia: ut enim pecora morboſa, ſanis mixta, totum plerumque gregem inficiunt, ac dominum totius ovium univerſitatis mulctant amiſſione, ſic & avare concupita, turpiterque congeſta, ſi miſceantur honeſte quæſitis, horum quoque ſecum trahunt ruinam & interitum. Docuit non ſemel triſtis exitus, avarum ipſum, poſtquam plurima couſecutus fuerat, animo in contrarium mutato, luxui ſeſe totum dedidiſſe atque libidini, ac cum corraſis transmiſſam etiam a majoribus opulentiam abſumſiſſe: ut non immerito viliſſimæ talem ſpongiæ æquaveris, non alium in finem humectandæ, quam ut turgida rurſus exprimatur, priſtinamque denuo recuperet ariditatem. Sed &, ſi, quod frequentius, in ſcelerato patrimonii per fas & nefas augendi perſiſtat propoſito, filius haud deërit aut

nepos aliusve propinquo junctus ſanguinis vinculo, qui, vel vivente vel mortuo avaro rerum domino, ſcortis, aleâ, comeſſationibus, compotationibus continuatis, ac tinctis mero multo pavimentis ſuperbis, abliguriat, quæcunque deteſtandis artibus cumulata fuerant, centumque clavibus ſollicire ſervata; id unum cavens diligenter, ne quâ ratione gaudeat de male quæſitis tertius heres. Atque ita non ſibi, ſed exteris divitias plerumque congerunt hi Euclionesnes, ſimiles apibus, non ſibi mella; ſimiles avibus, non ſibi nidos facientibus; bobus ſimiles & ovibus, non ſibi, ſed aliis, aratra ac vellera ferentibus; abjectæ ſimiles aſinorum propagini, qui pretioſa quæque dorſo geſtantes, interim ipſi tantum rubis aut durâ carice paſci ſolent; illis denique ſimillimi, qui fodinarum operibus addicti ſunt: ut enim hi nullum ex ſudore laboribusque commodum ſibi parant, nec quicquam ex terræ viſceribus in ſuos convertunt uſus, ſed maximo ſuo cum periculo, ſalutisque diſpendio, montium ex abditis auri argentique compendia pro aliis eruunt; ſic & egeſtate perpetuâ velut oppreſſus avarus, cogit opulentiam, per alias propediem in vulgus diſpergendam.

Uti-

Digitized by Google

Utinam vero maximum hoc aviditatis improbatæ præjudicium eſſet, quod uſum inde nullum, nullum fructum avarus capiat, nullum ſentiat emolumentum! Aſt aliæ plures inſuper difficultates ſunt, quæ unumquemque, philoſophari recte cupientem, ab avaritiâ deterreant. Quis enim eſt, quem lateat, ſtimulans ad omnem nequitiam calcar eſſe immoderatum habendi amorem, tantoque uberiorem vitiorum omnium copiam apparere, quanto magis patuerit avaritiæ ſinus. Ut enim aurum Lydio lapide diſtinguitur, & juſtus ejus exploratur probaturque valor, ita ad aurum ipſum, quaſi lapidem quendam Lydium, dignoſcuntur virtutes mortalium, ut, quisquis ad ejus illecebras conſtans non fuerit, etiam virtutis ſemitam feliciter haud ſit decurſurus. Quamprimum etenim doloſi ſpes nummi affulſerit, nec metus ullus nec pudor erit properantis avari; non tribuet Deo, quæ Dei ſunt, non Cæſari, quæ Cæſaris, religio, pietas, & quicquid uſpiam ſanctum habetur, ſine pretio ſordebit ei, nec quicquam honeſtum videbitur, quod pecuniâ vacuum: contra vero nihil tam ſacrum, tam charum nihil, quod non violet, prodat, perdat, qui ſe donis corrumpi patitur. Ut non ſine

Digitized by Google

ſine cauſâ viſa fuerit avaritia præcipitium undiquaque præruptum, mare graviſſimis agitatum procellis, tyrannus acerbe imperans ac barbaro quovis truculentior. Quoties, Auditores, proſtratam muneribus audivimus puellarum pudicitiam! quoties expugnatam largitionibus matronarum caſtitatem! adeo ut, quæ nullis antea blanditiis, nullis precibus, nullis fictis adulteri vel ſtupratoris adulationibus; lamentis, gemitibus, terrore, minis, flecti potuerant, auro tamen loquenti, & virtutes omnes omnemque conſtantiam enervanti, ceſſerint. Nec aliud arbitror poëtarum fabulis adumbratum fuiſſe, cum Jovem finxerunt, aliis fruſtra tentatis, in imbrem aureum converſum, durum Danaës patrem, ipſam ſeveram, æratos poſtes, ferreæ turris impedimenta, ſuperaſſe tandem, atque ita de virginis exactiſſime cuſtoditæ triumphaſſe pudore. Quæ vero civitas, quæ reſpublica, quodnam regnum, diu ſtare poteſt, ſi cives ejus impio nummorum deſiderio ſint inflammati? Quid animi creditis hiſce futurum, ſi ad prodendum natale ſolum præmiis ſollicitentur? ecquid eos auro patriam vendituros, potentem ei dominum impoſituros, quæſtui habituros rempublicam, etiamnum hæſitatis? non hæ-

Digitized by Google

hæſitavit utique barbarus Jugurtha, qui, cum avaritiam inter victores orbis Romanos dominari cerneret, nec ignoraret, quantos illa cieret mentis turbines, ô urbem, ajebat, venalem, modo emtorem haberes! non hæſitavit Philippus Macedo, nullum aſſerens ſat firmum adverſus hoſtes præſidium, nullam ſat munitam adverſus oppugnationes civitatem, in quam poſſet onuſtus auro aſinus intromitti. Ne dicam, illic, ubi ſanctiſſima divitiarum majeſtas eſt, ad alia omnia venalem fore populum, venalia teſtium perjuria, venales advocatorum fraudes, venales judicum ſententias, venalem Patrum curiam, venalia denique templa, ſacerdotes, altaria, ſacra, Deumque, dum pollicitationes, dum pretia, dum præmia, a linguâ manuve corrumpentium prodeuntia, recipiunt. Vix enim eſt, ut ad aures avari ſonuerit nummorum tinnitus, quin & diſertiſſimorum illico rauceſcat oratorum tuba, ac decantata glorioſâ ipſorum voce jura ſuffocentur, ſicque ad extremam impellatur amore pecuniæ fovendam iniquitatem. Quis non deploret imperii Romani fatum illis temporibus, quibus Commodus imperator mortis alienæ facultatem cupientibus facile pecuniâ permittebat, omnium criminum aliorum impu-

Digitized by Google

nitatem auro indulgebat, ac palam litium quarumcunque diſtrahebat eventus? Quis non doleat, ubi Caligulas viderit eo ſceleratâ perductos avaritiâ, ut teſtatores cogant ſe heredes ſcribere, eoſque deinde veneno tollant, ridiculum aſſerenres, quemquam velle poſt teſtamentum ſupereſſe.

Uti autem aliis, ita & ſibi non raro nocent quam graviſſime, qui cupiditatis hujus effrenâ rabie ſeſe patiuntur vehementius abripi. Quantis enim ſeſnet periculis, quantis aliorum exponant inſidiis, expeditum eſt, ſi modo meminerimus, nocturnos non defuturos fures, non prædones diurnos, qui, ut aurum rapiant, vel ipſum jugulaturi ſunt auri dominum. Non enim ſperandum eſt, felicia in poſterum reditura ſecula, quibus Jaſones deſint, acerrimi velleris aurei perſecutores, qui in theſauros aliorum baliſtam intendant, quâquâ ratione, flagitio quocunque, prædam aucupantes. Sed & malo ſæpius periiſſe letho eos, qui infauſtâ ſtimulati avaritiâ, ſceleris proditionisque pretium pacti fuerant, atque ita proprio jumento ſibi malum accerſiviſſe, fides hiſtoriæ comprobatum dedit. Cum Epheſum obſidione cinxiſſet Gallorum dux Brennus, virgo quædam invitata ſpe

Digitized by Google

ſpe barbari, cum eo pepigit, ſe urbem prodituram mercede ornamentorum, quæ Galli ferebant: at ille ſic fidem promiſſi præſtitit, ut in eam aurum omne congeri præciperet, quo oppreſſa atque ſuffocata, digniſſimum proditione præmium tulit. Similique modo ab ipſis illis inimicis, a quibus ad patriam opprimendam fuerat auro corrupta, obrutam ac interfectam fuiſſe Spurii Tarpeji, arcis præfecti, filiam, Livius autor eſt; gratâ quidem proditione, ſed proditoribus inviſis, nec uſpiam fidum quid offenſuris.

Quod ſi, ut fere fluxæ ſunt divitiæ, caſus durior opes abſtulerit, easque perditas intellexerit avarus, dolor ingens artus occupabit, triſtitia macerabit, luctuſque mentem excruciabit infandus; unde furiis ſtimulatus acerbis, ipſe collo laqueum haud raro aptaturus eſt, aliave periturus morte voluntariâ, ne ſuæ diutius jacturæ ſuperſit. Nulli interim, ſive ſervato ſive amiſſo theſauro diem ſupremum clauſerit, moriendo vel minimum relicturus ſui deſiderium; ut pote quem nec uxor velit ſalvum eſſe, nec liberi, ſordide nimis ac tenuiter exhibiti, nec conſanguineorum neglecta per eum turba; quos omnes plerumque, lectum moribundi lethalem

circumſtantes, avide videas exſpectare, ſpiritum ut extremum ducens vivere deſinat, qui ſibi ſoli vixiſſe viſus fuit, ac præter aurum, perdite adamatum, mortalium neminem coluit, neminem dilexit, nulli vel minimum contulit beneficium; ut proinde fato quoque cedens, præbere nulli potuerit lugendi, ſed exſultandi potius ac lætandi materiam, unico ſui interitu ad alios inutilem hactenus opulentiæ ſuæ, ſi quæ ſuperfuerit, transmittens uſum.

Hæc ſi ita ſint, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, ſi tam ridenda partim, partim miſeranda deprehendatur avari conditio, tantopere tum in acquirendo, tum in conſervando, tum in amittendo calamitoſi, quis veſtrum ultra vocet in dubium, per ſiniſtros plane tramites ad ſapientiam adſpirare eum, qui ſe totum huic vitio dediderit; ac unumquemque, quo magis ei ſeſe mancipaverit, eo quoque longius a veræ & non ſimulatæ philoſophiæ poſſeſſione alienum eſſe; denique, dum pauci ſunt hac in parte integri, menteque puri, *raros eſſe, qui philoſophantur.* Cum autem non omni videantur laude deſtituendi, qui per imbecillitatem humanam ad ſummum virtutis perfectæ cacumen evadere non valentes, ac in primis con-

Digitized by Google

conſiſtere, bonâ tamen fide ſincerâque animi contentione iter ingreſſi, pervenire eo connituntur, vel in ſecundis aut tertiis aut ulterioribus, dum in primis non datur, ſubſtituri; ſedulo agamus id unà omnes, ſi boni eſſe velimus, ut, quantum in nobis eſt, ad ſapientes hoſce, quos raros eſſe jam conſtat, propius ſaltem accedamus, & eorum veſtigia, paſſibus utcunque non æquis, premamus diligenter: inordinata ponamus, aut certe compeſcamus deſideria, turpemque derelinquamus per iniquitates acquirendi voluntatem, ac, ut paucis dicam, caveamus aſſiduo, ne noſtris in pectoribus altas radices agat inſana hæc atque deteſtanda vitiorum omnium ſcelerumque mater. Utamur ita rebus humanis, ſive lautioribus, ſive tenuioribus, divinitus conceſſis, ut tamen uſque memores ſimus, neminem in illis ſtabile ſibi poſſe dominium arrogare, dum pluribus illæ caſibus expoſitæ, dilabuntur facile ac diſſipantur. Quis enim eſt, qui neſciat, ex incendio, ruinâ, naufragio, hoſtili depopulatione, prædonum incurſu, tyranni violentiâ, judicis iniquitate, milleniſque aliis inferendi damni modis, inconſtantem argui earum autoritatem, uſum, commoda; adeoque nec eſ-

F ſe,

ſe, cur iis tam impotenter impetu cœco, menteque perversâ, in ludibrium ceſſurâ tandem, inhiaremus, aut ſpes omnes ac vota noſtra tanto cum ardore dirigeremus ad illas non legitimis modo, ſed & improbatis artibus, accumulandas. Naturam utique pauciſſimis poſſe contentam eſſe, nativitas noſtra ſimulque interitus abunde probat: Nudi intramus, diſcedimus nudi. Quod ſi quis metuat, ne in ipſo vitæ hujus itinere ſumtus viaticumve deſit, longa ejus deſideria protinus increpabit ſapiens vitæ brevis recordatio, reprehendet exigua rerum ad victum neceſſaria quantitas, & ſi naturam modo, ſi corpuſculum reſpiciat, videbit, ſe fruſtra ſupervacuis angi curis, ac paucorum egentem multa captare. Quæ ſi ſerio nobiscum ſæpiuſque revolvamus ac reputemus, ſpes eſt, futurum, ut in eam plane deſcendamus ſententiam, ſolas animi dotes ſapientem poſſe ut ſuas vindicare; utpote quas nulla hominum manus, nulla potentium ira tollit aut libido, nulla judicis intervertit ſententia, nec ſæva atque horrida tyranni vox fiſco addidit; ſed potius hæ, dominum ſuum non mutaturæ vel deſerturæ,glorioſum eum, ſemperque ſui ſimilem, per caſus varios & multiplicia rerum di-

Digitized by Google

diſcrimina, per ærumnas tum publicas tum privatas, conſtantiâ ferendas philoſophicâ, ac vel conſilio vel patientiâ ſuperandas, tandem ad portum deducet æternitatis, feliciter illis ceſſuræ, qui Chriſtianâ fide juſtitiam & merita Salvatoris amplexi, mentem, e corporis domicilio mox migraturam, ferventiſſimis inenarrabili Numini commendaverint precibus, meliore beatorum in ſede reponendam.

D I X I.

Digitized by Google

Digitized by Google